



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 57. Finis Florentini & Basileensis Concilii

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tione Curæ ad id est obligatus: Decima-
 rum solutionem, etsi de præcepto sit, non
 tamen de præcepto esse, cui sit solvenda,
 sed liberum, quibuscunque vellent solvere, vel
 in pia opera pro arbitrio impendere: Mo-
 rientes in professione, & habitu Ordinis Mi-
 norum, ultra annum non passuros in pœ-
 nis Purgatorii, quoniam B. Franciscus ex
 divino privilegio quotannis ad purgatorium
 descendit, suosque omnes ad Cælum deducit:
 Fratres Mendicantes etiam non præsentatos
 Ordinariis posse confessiones audire; & qui
 apud eos essent confessi, non teneri etiam semel
 in anno confiteri proprio Sacerdoti: Epis-
 copos etiam in Synodo congregatos non
 posse sibi reservare ullos casus præter illos
 in jure expressos. Omnes istas assertions
 in Dicecesi Taurinensi, & Astæ Mediola-
 nensis ditionis urbe Mendicantes con-
 cionibus suis divulgant, quas Basileen-
 ses in quadragesima quarta Sessione tan-
 quam erroneas damnarunt, hanc censu-
 ram in præsentis Sessione confirmantes.
 Quibus peractis nullum alium conventum
 egerunt Basileenses.

§. LVII.

Finis Florentini & Basileensis
Concilii.

Ita demum finem habuerunt Concilia *Acta Patric.*
 Florentinum, & Basileense, quorum *to. 13. Conc.*
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. E Patres, *p. 1612.*

Sæcul. XV.
A.C. 1443.

Patres, uti videtur Dupino, non tam devicti, quam defessi recesserunt, cum neutra pars cederet, & quælibet nec pacem inire, nec reconciliatione facta finem jurgiis suis imponere meditaretur, ac denique Concilia sua aliorsum, hi Romam, illi Lausannam transferre simulant, ubi tamen fere nihil est, quod ab illis gestum fuisse reperitur, sed schisma nihilominus usque ad Eugenii obitum, qui quarto ex post anno contigit, protrahatum est. Felix interim tam Lausannæ, quam Genevæ agebat, & Basilea discedens nonnisi quatuor secum habebat Cardinales, scilicet S. Sixti, S. Marcelli, Aquilejensem, & Verambonem; cum vero primi duo vita excederent, & tertius apud Cæsarem Viennæ diverteret, unus duntaxat supererat.

§. LVIII.

Novi Cardinales a Felice creati.

Acta Patrie.
to. 13. Conc.
p. 1611.

Igitur Felix, cum curiam suam congruo Patrum numero destitutam perspiceret, & deficiente Ministro nequidem sacra celebrare valeret, apud Basileenses, antequam ad sua abirent, instabat, ut Sessionis XXIII. Decretum hac duntaxat vice relaxarent, eique permetterent, ut quinque alios Cardinales nominaret. Acta res est cum magna Basileensium
conten-